…: Quaestio de cognitione creationis.

QVÆSTIO
DE
COGNITIONE
CREATIONIS.

In Alma Academia Cracouien:
Disputationi publicè proposita.

A

M. STANISLAO LABENCKI,
Scholæ B. V. MARIÆ in circo Cracouien.
Seniore.

Permissu M. D. RECTORIS.

In Officina Typographica Francisci Cesarij,
Anno Domini 1622.

0.



Fulmineum qui vibrat acinacem, & impiger istud
Concutit effuso quadrupedante solum.
Et qui tabifico lethalia colla Cerastæ,
Fortis in Heroâ mitificauit ope.
Et Turres, & Crux Lunata Tuæ Inclyte Princeps,
Æternum stabunt, hæc monumenta Domus.
Firmamenta soli patrij, Imperij Decora Alma,
Vos æuo memori, haud eximet vlla dies.

Illustrissimo Principi Domino.

D. GEORGIO,

Duci in Zbarasz, Castellano Craccuien. Pinscen. Socalien. &c. &c. Capitaneo. Domino & Patrono Suo.

S. & F.

Iam sanè Illustris. Princeps V. C. ab illo genio verè Heroico natam in me animi propensionem esse video, mecumque sæpius & iucundisime quidem reputare soleo, vt illa cogitatione beneuolæ voluntatis à V. C. profecta significatio, dici non potest quàm incredibilem mihi voluptatem afferat, sed non minorem quoque curam asidua cogitatio parit, dum in varias partes animum meum distrahi video & quibus studijs obsequijsue C. V. in me ornandi inclinatam animi beneuolentiam vtcunque demereri posim exquiro. Namque in tam Illustri & singulari fauore Principis obmutescere, non solùm à bonis litteris (quæ gratam memoriam beneficiorum tuentur & conseruant) sed etiam ab omni humanitate quàm maximè alienum fore quisq; mansuetioribus Camœnis addictus mecum vnà verisimè

censebit. Quocirca cum diuturna Vestræ Beneficentiæ recordatio mihi ob oculos obuersaretur, atq; gratam animi submissi iure suo efflagitaret testificationem, æquum esse arbitratus sum, vt disputationem istam Philosophicam Nomini Vestro inscriberē Amplissimo. Tunc enim maiorem splendorem accessurum duxi istis Philosophantium Pronunciatis, si Heroicâ dignitate V. C. forent illustrata. Permagno & illud fuit incitamento, quod exploratè omnes cognouimus studium Academiæ nostræ defendendæ in V. C. fidelissima suffragatione esse depositum. Spero itaq; futurum, vt quemadmodum Academicis litteris V. C. luce, palam, in frequentissima Reipub. celebritate, toties se Tutelarem & Patronum declarauit: ita quoque huic meo negotio litterario beneuolentiæ suæ aura adspirabit. Quare Illustrissimam C. V. etiam atquè etiam oro, vt indicium istud gratæ mentis, & perpetuæ obseruantiæ æqui boniq́ue consulat, ac me Amplissimo Suo Patrocinio, foueat, ornet, tueatur.

CRACOVIÆ è musæo Meo. 12 Calen. Sextileis Anno Domini 1622.

Illustris. Cels. V.
Cliens

M. Stanislaus Labencki.

QVÆSTIO.

V. Creatio quæ est productio Rerum Ex Nihilo, habens Causam Primam & Supremam virtutis infinitæ, nulli creaturæ communicabilis; rerumque non necessariò, sed secundùm decretum liberum Diuinæ voluntatis productiua; in doctrina Peripatetica cognoscibilis sit nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

Creatio non est motus aut mutatio, sed emanatio per quam vniuersum hoc extitit, ita vt nihil eius antè præcesserit.

COROLLARIA.

I. *Antequam mundus esset possibile erat mundum fieri, non tamen oportuit quòd aliqua materia*

præexisteret, in quâ potentia fundaretur.

2. Creatio definitur productio Ex Nihilo, illud Ex Nihilo non significat subiectum, nec respectum temporis secundùm prius & posterius, sed solùm indicat negationem subiecti præexistentis.

3. Motus & mutatio præsupponunt Ens, in quo tanquam formæ disponentes recipiantur.

4. In omni motu & mutatione, oportet esse aliquid quod aliter se habeat nunc quàm prius, ut ipsum nomen mutationis ostendit.

5. Error est Platonis, qui mundum semper secundùm substantiam fuisse, & simul ab authore Deo esse statuit. Similiter Empedoclis qui quadam fortuita Congregatione & segregatione quatuor elementorum omnia ait esse constituta.

CONCLVSIO SECVNDA.

Causa prima & vniuersalis, est verum agens mundi & partium eius.

COROLLARIA.

1. Potentia actiua in suo genere perfecta, dicens magis respectum ad agens quàm ad potentiam passiuam,

uam, sine qua excellentiori modo agere potest, producit actionem eius quod continet.

2. Effectus uniuersales oportet in uniuersales & priores causas reducere, vt docetur lib: 2. Physic: & 5. Metaph.

3. Etiamsi effectus multum debeat causæ particulari, vt potè à qua accipit speciem; plus tamen uniuersali vt potè à qua dependet, non solùm in fieri, sed etiam in Esse, & Operari.

4. Non diffitemur agentia particularia esse causas principales suorum effectuum, profitemur tamen uniuersi productionem soli uniuersali causæ conuenire; ac proinde vt nullum Ens creatum dari potest, quod non acceperit Esse ab alio: ita rerum totam hanc substantiam à Deo tanquam prima causa productam esse, Christiano more philosophamur.

5. Nequè intelligentia, nequè intellectualis anima, dat Esse cuipiam, nisi in quantum agit & operatur operatione Diuina, à quo autem operatio est, ab illo & Esse, quod est Operationis eiusmodi causatiuum.

CONCLVSIO TERTIA.

Prima Causa virtute immediata, & non communicabili alteri Creaturæ creauit res alias à se.

COROLLARIA.

1. Dare Esse per se & primo, est creare, solius autem Primæ causæ est attingere rationem ipsius Esse.

2. In Creatione cùm sit potentia maximè elongata ab actu; requirit absq; dubio virtutem sine vlla proportione infinitam.

3. Creatio cùm sit prima omnium actionum, per quam communicatur esse participatum; fit vt talis actio dimanet ab ipso Esse per Essentiam.

4. Potentia creandi, cùm ex parte obiecti nihil habeat, nisi non repugnantiam; vt obiectum sit aut fiat, necessario se extendit ad omne creabile, non autem ad aliquem gradum Entis.

5. Erronea est eorum sententia, qui Creare communicabile dicunt creaturæ, non vt principali agenti sed tantum vt instrumentario.

CONCLVSIO QVARTA.

PRima Causa in operando necessitatem non habet, nisi sui propositi tanquam finis suppositione.

CORO-

1. Deus est bonum sibi sufficiens, adeò vt nulla vera perfectio illi accrescat ex eo, quòd velit Creaturas.

2. Etsi in Deo, non sit potentia vt nolit quod voluit, simpliciter tamen potest in sua æternitate aliquid Esse nolle; quod vult Esse in tempore.

3. Ratione causæ Materialis aut Formalis, nihil prohibet in prima rerum creatione necessitatem absolutam inueniri; quia scilicet talis natura tales dispositiones requirebat.

4. Prima Causa etiamsi liberè agat; non propterea tamen necessitas absoluta à rebus excluditur.

5. Quæ carent potentia ad non Esse, illa simpliciter & absolutè necesse est Esse; vnde Materia quæ est in potentia ad aliam formam non est necessarium Esse simpliciter.

CONCLVSIO QVINTA.

NAturali lumine non potest cognosci creationem dari, in Peripatetica doctrina.

1. Constans Axioma Philosophorum, Ex Nihilo nihil fieri, effecit apud omnes Philosophos vt omnia ex præexistenti materia progenita esse affirmarent.

2. Quintò metaphysicæ dum explicat Aristoteles omnium significationes nominum, quibus omnes disciplinæ vtuntur; nullam mentionem, nec quid nominis, nec quid rei fecit Creationis.

3. Ad Creandum cùm requiratur virtus infinita, quam possibilem esse, demonstrari non potest apud Aristotelem, fit ex illius mente vt Creatio sit impossibilis.

4. Creatio in via Aristotelis, cum doctrina de Mundi æternitate, Animæ immortalitate, & Infinito stare non potest.

5. Modus productionis rerum ex Aristotelis sensu, vel in Emanationem simplicem à Deo, vel in Naturalem generationem ex seipsis tantum refertur. Nobis verò Christianis ex reuelata diuinitùs Philosophia, primam illam totius vniuersi fabricationem, creatione peractam constitisse certò certiùs est.

Illi laus & gloria
Qui in verbo ſuo creauit omnia.

Diſputabitur in Collegio Maiore DD. Theologorum. Hora 10. Die 23 Julij. Anno currenti 1622.

Sub felicibus auſpicijs Admod. R.P. ac Magnifici Dni. M. Baſilij Golenij Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Canonici Cracouienſis & Vniuerſitatis Cracouien. Generalis RECTORIS.